MEDITATIONUM CAMPESTRIUM,

Seu

EPIGRAMMATUM MORALIUM,

CENTURIA TERTIA.

Authore DAVIDE WEDDERBURNO
ABREDONANO.

HORAT.

Nemo adeo ferus est ut non mitescere possit,
Si modo cultura patientem commodet aurem.

ABREDONIÆ,
Excudebat EDVARDUS RABANUS,
Anno Domini 1644.

1140 aa 17

MEDITATIONUM CAMPESTRIUM,

Sèu

EPIGRAMMATUM MORALIUM,

CENTURIA TERTIA.

Authore DAVIDE WEDDERBURNO ABREDONANO.

HORAT.

Nemo adeo ferus est vt non mitescere possit,
Si modo cultura patientem commodet aurem.

ABREDONIÆ.
EDVARDUS RABANUS,
Anno 1644.

BRITISH MUSEUM

ILLUSTRISSIMO & CLARISSIMO DOMINO,

D. PATRICIO URQUHARTO

Hæreditariè Proprietario

DE MELDRUM,

Domino de LETHENTIE, &c.

S. P.

CUM mecum ipſe dubitarem (Illuſtriſme Domine) cui potiſſimùm tertiam hanc centuriam dicarem, ut Mecænatis Præſidio ſuffulta in lucem prodeat, Tu mihi primus occurrebas quem mihi hic Patronum deligerem & quidem merito tuo non uno aut altero, ſed vario & multiplice. Etenim jam inde à teneris annis in bona-

rum artium ſinu ac gremio educatus cum fueris, eas deinceps in pretio ſic habuiſti, ut vel tuum unius exemplum ex hominum animis facilè illud eradicare poſſit, quod non paucis tui ordinis tacito quodam judicio perſuaſum videtur, Ut quiſque claris natalibus maximè effulget, ita minimùm cum otioſis illis (ut ipſi quidem dictitant) & inertibus ſtudiis habere commercii: Tu verò contra honeſtæ laudis ac veræ gloriæ ſtimulis incitatus non modo ipſe cum Muſis ſeriò verſaris, ſed & tenellos adhuc liberos (quantæ DEUS Bone Spei!) in diſciplinis humanioribus ſumma cum diligentia enutriendos curas. Huc accedit tua in fratrem meum benevolentia, imo beneficentia uſqueadeo prompta, ut tibi (Heros Generosè) vitam ipſam aut ſi quid vitâ charius palam ac apertè debere ſe profiteatur. Nec mirum. Eſt enim divinum neſcio quid in Te, communi captu altior indoles quæ Te ſecernit à vulgo & ad optima quæque natum eſſe demonſtrat. Hæc vera & nativa eſt Generoſitas, quæ quoties in Tui loci Proceribus elucet ipſa per ſe &

pro ſe loquitur. Etenim ut in apum genere ſigna quædam indita ſunt Regibus quibus facilè à reliquis dignoſcuntur, ſic ſolet eximium aliquid eſſe in magnis Viris, quos ſupra ſortem aliorum ipſa generis conditio, DEUM ita ſuum cuique ordinem deſcribente, extollit. Quod reliquum eſt, rogo (Illuſtriſſime Domine) ut hanc qualem qualem obſequii à me tibi debiti teſſeram literariam eâ, quæ tibi innata eſt, quâque ſoles animi frontiſq. ſerenitate excipias. Quod ſi conſequar nihil ultra expoſco, quod enim ille de Virtute, ego de Amore pronuntio,

ipſe amor eſt ſibimet pretium & pulcherrima merces.

Vale, Vir Clariſſime, dat. Abredoniæ, anno incarnationis Dominicæ 1644, 3 Nonas Quintiles.

Tuæ Authoritati deditiſſimus cliens,

DAVID WEDDERBURNUS.

MEDITATIONUM CAMPESTRIUM.

CENTURIA TERTIA.

1. Basis Fortitudinis.

Sto animo forti, mentem metus ira dolorque
Præcipitant, possit ne ratione frui.
Semper grata sibi est animi præsentia firmi;
Maximè ubi quid gravius jam parat atra dies.
at si cupias animum quid firmet honestum,
um vitæ instabilis sæva procella furit.
mũ; saxumq. perẽne, immobile, celsum
per, unam animæ spem requiemque Deum.

2. *Contemnendus contemptus.*

ecce tibi comes est cõtemptus ubique;
quitur livor, si modo dives eris.

Seu habeas seu non, patiere incommoda: firma
Pectus, ita evinces quicquid utrinque grave est.
Cogita id interea, passim ditisq. inopisque
In mortem celeres deproperare dies.

3. *Belli seminarium.*

Sæpe animo volvo quàm sit sibi vita caduca
Dispar, quàm variè tempora nostra fluant.
Interdum tanquam redeant Saturnia regna,
Otia securus quà patet orbis agit.
Clauduntur Iani portæ; mox turbinis instar
Præcipitis Mavors dirus ubique tonat.
Has experta vices (prò luctûs!) sæcula nostra
Omnia jura, omnem deseruere fidem.
Perq. omnem Europam passim fera regnat Eryn-
Et cædem cædes, bellaq. bella serunt. (nis
Esse quid hoc dicam? casumne an sydera culpem?
Nil casum, nil hic sydera posse reor.
Scilicet hæc ætas scelerum fœcunda novorum
Aut novat, aut odiis bella novata fovet.

4. *Nihil hic perenne.*

Thebæ ubi nunc celebres? ubi [illegible] excelsa Co-
Mœnia? ubi Ninives rudera trata ja-
Sparta ubi fœta viris? ubi nunc Carthago fu-
Nunc ubi vel Solymæ vel Baby[illegible]s op-
Nunc ubi, quas olim Pallas decorav[illegible]
Orbis deliciæ nunc ubi Roma vetus?
En tantorum operum vix vel vestigia cer-
Luxuriant segetes en ubi Troia fuit.

Hęc ubi luſtraris, meditare hoc; Tempus ut urbes,
Sic genus omne hominũ Mors pecudumq. ra-
ſt hìc ne ſiſtas ultra pergamus; ut urbes, (pit.
Sic tandem hæc mundi machina tota ruet.

5. Ratio dux vitæ.

bſque gubernaclo nunc huc nunc pellitur illuc
Navis & incertum devia findit iter.
ic niſi mens certæ clavo rationis agatur,
Turbido in hoc vitæ fluctuat uſque ſalo.
in dux fida ſuas præſtat Sapientia partes,
Littus ad optatum provehet aura ratem.
nterea affectûs caveas, iramque metumque;
Hi brevia, hi ſcopulos, hi vada cæca dabunt.

6. Conſideratio immortalitatis.

ſorte carent animæ; quoties hoc lemma recurſat,
Anſa metûs animo lætitiæve datur.
los gravat inde metus, pęnæ & formido perẽnis,
Qui parili ſtatuunt faſque nefaſque loco.
is, qui juſtitiam moniti didicere, miniſtrat
Gaudia nõ ullo præpedienda die.

7. Senis Cynoſura.

t hyems ævi mortalibus ægra ſenectus,
placidè & tacitè ſit genialis hyems.
nnem trãſmittit eques, ſic dege ſenectam,
ſum non ſpectat gurgitis ille citum:
n oculis attentis reſpicit uſque
, ne titubet deficiatve metu.

Sic

Sic tua damna ſenex præſentia temne; quod ultr
Specta & ad æthereas lumina tolle domos.

8. *Tranquillitatis pretium.*

Qui febri morbove alio graviore laborat,
Inſtabili mutat mente ſubinde thorum.
Falſaque nunc illinc nunc hinc ſolatia captat:
Nec tamen hinc illinc provenit ulla quies.
Sic incompoſiti motûs quibus ægra fatigant
Pectora, tanquam oneri ſint ſibi ſe fugiun
Quanti eſt ô quanti tranquillæ gratia mentis,
Quâ ſine ſe nemo ferre fruive queat?

9. *Votum.*

Quæ mihi conveniat ſortem pater annue; ſort
Et mea conveniat mens, pater alme, mea

10. *Amuletum Juveni.*

Ut veſtis tineis, arboſque teredine ſenſim
Exeditur, ſic cor exterit angor edax.
Præſertim Iuveni; qui nondum damna dolor
Et tacitas fraudes temporis arte capit.
Felicem ô juvenem! ſceleris cui pura juvent
Et mæſti tineas pectoris uſque fug t.
Illi dimidium plus toto eſt; namque juvent
Cui ſic acta ſui poſtea juris erit

11. *Schola æquanimitatis*

Excipies modicam minùs æquo pector
Quiſquis, ad hæc mētis lumina ver
Hos propone tibi turpis quos urget eg
Aut hos, quos hoſtes obſid

Accedant alii ſævi Mavortis ab armis, (dum.
Trunca quibus manuum corpora, trũca pe-
Quos agitat peſtis, cætuque extruſit ab omni:
Frigore quos carcer conficit atque fame.
Vel quos damnatos in ferri æriſve fodinas
Spiritus exhalans prægravat atque ſitis.
Vidi ego ſublimi decoratos ſtemmate, quorum
Nunc, heu, ſors ſubito turbine victa ruit.
Iſta recognoſcens ſimul hoc perpendito, quàm ſit
Sors meritũ ſupra quantulacumque tuum.
Si minùs hæc animum feriunt, age, perge miſelle
Perge queri & temet tædeat uſque tui.

12. *Animus cujuſque is quiſque eſt.*

Ut ſine materie reparata extinguitur ignis:
Cereus ut cerâ deficiente perit.
Haud aliter videas pectus torpere veterno,
Ni tibi virtutis pabula pectus alant.
Qualia nempe ſibi tua mens alimenta miniſtrat,
Vita tibi talis, vox quoque talis erit.

13. *Cave te.*

Cuicunq. eſt fragili puppi maris æquor arandum,
Cogitet is pelagus quanta pericla creet.
latera objiciunt immania & horrida ſaxa:
Hinc aperit brevium ſæva procella minas.
ruunt auſtri, boreas inde aſperat undas:
Nec nox tuta ulla eſt, tuta nec ulla dies.
æ dum carpis iter, diſcrimina mille,
ede mihi, incurrent, Te niſi Tu caveas.

Te niſi

Te niſi Tu caveas. Tibi nam nativus es hoſtis
Naturæ obſtiteris ni pietate tuæ.
Alme Pater ne nos nobis hic linque, ſed uſque
Gratia ſit noſtræ clavus & aura rati.

14. *Sint Mecænates.*

Non ſatis Agricolæ eſt curvo ſi verſet aratro
Vere novo terram, ſit licet illa ferax.
Cur? quia ſpes illum meſſis lactabit inanis,
Ni ſata ſol foveat, ni riget imber agrum.
Sic niſi Mecænas vati ſuccurrat egeno,
Ingenio licet is polleat, uſque jacet.

15. *Eruditio prudentiæ ſit nutrix.*

Ut color in pratis oblectat lumina, nares
Halitu & ut ſuavi florea rura juvant.
Artibus ingenuis comes eſt ita juncta voluptas,
Nectare quæ puro nobile pectus alit.
Adde voluptati ſed enim ſua commoda prudens
Dulcia cumque apibus collige mella favis.
Namque voluptati(licet hæc ſua præmia præſtet
Indulgere uni non ſatis eſſe reor.
Elicito è vetērum monumentis, vincere quo
Quæ doceant caſus,que minuantq. me
Quæ minuant iram, ſordes quæ mentis av
Expurgent; ſolidè hæc diſcere,proficer

16. *Calumniatori nunquam impune.*

Alliſi ut ſcopulis fluctûs franguntur, at
Rumpere non fluctûs vis decumana

Sic neque fortē animum confícta calumnia vin-
Sed ruit haſtilis cuſpide fixa ſui. (cit:

17. *Abyſſus æternitatis.*

In mare ceu curſum fluvios à montibus altis
Saxa per & valles præcipitare vides:
Tendit ita ad finem quicquid mortalibus uſquam
Per rerum varias inſtabileſque vices. (eſt
Donec ad extremum veniatur temporis orbem,
Seque ſub æterno ſyrmate cuncta tegant.

18. *Compendium Philoſophiæ.*

Aurea qui Sophiæ mandarunt dogmata chartis,
Multa juventutem carmine digna docent.
Commonet hic quæ ſit virtutis ſemita, fallax
Quàmque ſit ambitio, quàmque libido levis.
Suadet opes alius contemnere: ferre labores
Aſt alius, juveni dum tibi robur adeſt.
Sempe alia ex aliis diſcas. Vis omnia paucis
Expediam? hęc Sophiæ ſit tibi ſumma brevis.
Quem lecto affixit morbus diurturnus, ab illo
Quæ fugienda tibi, quæque ſequenda roges
Ut recidiva premat ſi jam te febris, ab ipſo
Te, vitæ leges non aliunde petas.

19. *Oſtentationis incommoda.*

Ostatorem fugito, nam lividus idem eſt,
Intro alios tacitè rodere dente ſolet.
Laudeferri ſoli vult quicquid ubique eſt
Audis dum faſtu vanus ubique tumet.

Co-

Cor tamen artifici celat velatque malignum
Ingenio: fors & relligione tegit.
Relligio primas teneat si vera sit; atqui
Si foveat fastum, Lerna vel Hydra nova est.

20. *Prudentis habitus.*

Ut Medicus Febri jactatos inter oberrat,
Nec Medicum Morbi vis tamen ulla gravat
Sic nugatores inter tibi seria mens sit,
Inter & errones semita recta juvet.
Sisque exemplo aliis; alios hac corrigit arte
Quisquis, is exemplo se reget inde suo.

21. *Belli detestatio.*

Cur ita mortales bellandi dira cupido
Fascinat atque animos asperat ira truces?
Dano dum Suevus, Gallo dum certat Iberus,
Sanguine dum Rheni rauca fluenta tumen
Dum (miserũ ò sæclum! proh tẽpora dura!) Bri
Inflammati odiis in sua tela ruunt. (tan
Immemor interea es quàm sit tibi prava volũta
Nec tua quàm tibi sit mens tenebrosa vide
Quòd si adeò tibi bella placent, te vincere cer
Et pia cum vitiis sit tibi lucta tuis.
Hìc mundi, hìc fragilis superanda licentia car
Horrida & infandum tartara quicqui

22. *In susurrones.*

Sperne Susurronum linguas; quâ spernere po
Arte docebo lubens, si modò vera p

Sic vive ac ſi oculis intentis afforet hoſtis,
Qui tua facta, imo dicta vel ipſa notet.
Hoſtis ſi deſit (quod rarum.) finge Catonem,
Finge aliquem Senecam ſemper adeſſe tibi.
Sed neque tu Senecã, neq. tu tibi finge Catonem
Semper adeſſe; DEUM reſpice, tutus eris.

23. *Adverſus obtrectatores.*

Ne ſugilla alios, fugienda calumnia mordax,
Si memor officii es, ſi memor ipſe tui.
Poſtulat officii ratio tueamur amicè
Nomen ut alterius, res ubi poſcit opem.
Sin tibi probra placent, ut provenit ignis ab igne,
Sic ſibi mille hoſtes hoſtica lingua parit.

24. *Peccati originalis fructus.*

Eſt pravi natura tenax, meliora videmus,
Suadet at illa tamen deteriora ſequi.
Quòd via ſit vitiis facilis, quòdque ardua virtus,
Natura eſt tanti fonſque caputque mali.
Quòd vindictæ adeò mens eſt ſtudioſa cruentæ,
Natura eſt tanti fonſque caputque mali.
Quòd ſortem alterius minùs æquo lumine cernis,
Natura eſt tanti fonſque caputque mali.
Quòd mens ſorte ſuâ nunquam ſatiatur avara,
Natura eſt tanti fonſque caputque mali.
Timet & vinctos quòd nos maleſuada libido,
Natura eſt tanti fonſque caputque mali.
Quòd pugnat ſibi mens, quod corpore preſſa fa-
Natura eſt tanti fonſq. caputq. mali. (tiſcit

Hinc pugna haud dirimēda unquā, dum tempo
Ultima ſupremus clauſerit ille dies. (vit
Ecquando lux illa aderit, quæ pura miniſtret
Æthereos ſenſus & ſine nube animum?
Eximet illa omnem labem; ſcelus eluet omne,
Hujus quo fontis putet origo vetus.
Heu! corruptum animū fonti quid comparo? va
Oceano pelagus vaſtius intus habes. (ſi

25. *Vigilate & orate.*

Regius Iſacidûm vates, Solymæque perennis
Gloria, ſæpe DEI ſolicitabat opem.
Ad cœlum cum voce manus tendebat, Eoos
Cum ſuperâ radios Phœbus ab arce daret.
Et cum jam Phœbi medium conſcenderat axem
Et cum jam tenebris cederet alma dies.
Quin quaſi lux ſpatio ſanctis foret impare voti
Vel mediâ eſt ſolitus fundere nocte prece
Cum Domino in terris qui ſic coaleſcit in unum
Cælitum in terris hunc beat alta quies.

26. *Difficilia quæ pulchra.*

Heu quàm difficilis virtus! quàm tetrica multi
Heu ſibi quàm duram deligit ipſa viam?
Dum ſomno indulgent alii jam nocte fugata
Illa ſuos ſummo ſurgere mane jubet.
Dum Baccho indulgent alii, ſociiſque fruunt
Ecce ſuos docet hæc ſobria ferre ſitim.
Dum choreæ cantûſque vigent, & læta Corin
Delitiis alios blanditiiſque capit.

d ſtudia illa ſuos revocat, ſuetoſque labores:
Subdola nec Veneris gaudia noſſe ſinit.
ura quidē hæc forſan; quæcunq. at pulchra, dat illa
Non niſi difficili parta labore DEUS.

27. *Superbia morbus incurabilis.*

ccreſcit ſenſim gradibuſque ſuperbia cæcis:
Et ſibi materiem ſuggerit uſque novam.
onec ad extremas faſtûs pervenerit oras:
Excubet & Nemeſis pervigil ante fores.
um verò ſubitô quaſi turbine pulſa labaſcit,
Et ruit in cineres verſa repente leves.
ſta canunt omnes; credit tamen iſta ſuperbus
Nunquam, ſtultitiam dum luat ipſe ſuam.

28. *Tranquillitas publica.*

n cantu celebrant volucres virgulta lareſque:
Agricolæ en paſſim carmina læta novant.
idet terra, favet verna indulgentia cœli.
O ſi verna etiam pectora noſtra forent!
um locus haud odiis eſſet: tum bella ſuperſint
Nulla: anima ipſa orbis tum foret alma fides.
t nunc aut nimio ferveſcunt corda calore,
Aut nimiùm rigidi pectoris alget hyems.

29. *Solatium ſenectutis.*

xhilarat iuvenes generoſus et integer ævi
Sanguis: opus paſcit gaudia firma viris.
ſenibus quæ ſint ſolatia? grata ſenectæ
Otia ſunt, ævi præteritique labor,

Speſque

Speſque propinquantis vitæ, quæ ſola laboris
Expers, æternæ præmia pacis habet.
Exempla in ſtadio certamina gymnica præbent,
Quò propior metæ eſt, hòc magè curſor ova

30. *Conſolatio chriſtiana,*

Felix cui puro mens eſt in corpore pura,
Nec ſub noxarum pondere cæca tremit.
Sive dies oritur ſeu nox ſuperincubat atra,
In gremio tacitè gaudia pura fovet.
Hoc ut comperias ſpecta ſuſpiria, mordax
Quæ turbati animi carnificina novat.
Eumenidum in terris mens altera tormina ſenti
At cœlo in vitâ hac altera mens fruitur.

13. *Alia.*

Ut Sol exoriens ſenſim ſeſe exerit, atras
Dum ſupero tenebras noctis ab axe fugit;
Inde die creſcente magis ſua dona magiſque
Diffundens medium reddit ab arce diem.
Tum verò puris radiis hinc inde niteſcit,
Dum Lybico feſsos æquore mergat equo
Sic animam vultus divini gratia primò
Illuſtrans medios dat modicoſq; gradus.
Nilque repente facit: mirari deſine, Solis
Lux etenim haud primo prima creata die e

32. *Æquilibrium.*

Plumbo opus eſt, mentem nimiùm ne gaudia to
Cortice, ne mentem cura dolore premat.

Firma fides cortex, animiq. modeſtia plumbum
Sic æquali hominum vita tenore fluet. (eſt:
Flumine piſcator prædam dum captat in alto,
Iſtam fortunæ pingit utrique modum.

33. *Fugitiva voluptas.*

Effigies Helenæ vel virginis ora Dianæ,
Quæ mirâ artificis pinxerit arte manus,
Etſi oculos variis pulchriſque coloribus, etſi
Spectatorum animos detinuere diu;
Tempus inane dato, perit admiratio tãdem: (cẽt.
Quæque probata prius, jam ſine laude ja-
Scilicet in vitâ hac nulla eſt diuturna voluptas.
At viret & vivax ſtat probitatis honos.

34. *Diſſimulatio chriſtiana.*

Cum canis oblatrat peregrino, protinus illum
Si ferit, ecce brevi Cerberus ille furit.
At ſi prætereat tacitè, patientia vincet,
Grata quaſi rabidum paſceret offa canem.
Innocuum ſi forte petens te lividus, atro
Dente decus famæ detrahat omne tuæ,
Diſſimula; ut partu ſerpens ſe conficit ipſo,
Sic ſe felle ſuo Zoilus ipſe necat.

35. *Conſilium Pædagogicum.*

Qui natum vixdum ſeptennem protinus artes
Non ſine torturâ diſcere cogis, abi.
Toto erras Cœlo, ratio hæc præpoſtera tota eſt,
Dum tua præcipitat provida cura nimis.

Firmetur

Firmetur primò corpus, formetur ad artes
Mens inde ingenuas ſuaviter abſque minis.
Nonne calore vides teneras has creſcere plantas?
Cum tamē has rigido frigore bruma necet.

36. *Feſtina lente.*

Præceps cum fluvius rapido jam gurgite fertur,
Et ripæ tumidis exſuperantur aquis.
Has quiſquis vel vectus equo tentabit, is audax
Plus ſatis eſt, vitæ nec timet ipſe ſuæ.
Aſt ubi poſt paulò lenis jam labitur amnis,
Intrepidè incedit per vada ſicca pedes.
Ardua tractentur ſi forte negotia, differ
Nonnunquam; expedient forſitā illa moræ.

37. *Animæ obduratio.*

Siqua fides vero eſt, miretur nemo, ſceleſtos
Pectora ſi ſcelerum conſcia ſæpe gravent.
Lancinat his animos ſtimulis Natura ſubactis,
Vindicis & juſti juſſa tremenda DEI.
Hoc mirare magis, quì fiat ut impia cui mens,
Sanguine & innocuo cui maculata manus,
Gaudeat, exultet ſecurè, auremque in utramque
Dormiat, ac omni ſi ſine labe foret.
Nempè aſſuetudo peccandi ſuſtulit omnem
Senſum, calloſam duritiemque creat.
Hinc malefida quies, quæ pacis imagine ludens
Mox animam ſtygiis obruta prodit aquis.

38. *Ebrietati*

38. *Ebrietatis deteſtatio.*

Ebrius ut videat vitium immedicable quàm ſit
Ebrietas, ſpeculum hìc conſulat ipſe ſuum.
Noctes atque dies quem detinet alea, blanda
Quem meritrix fallit, concubituſque vagi,
Deſiſtunt tandem vitiis his; cogitur ille
Siſtere, pauperies cum premit arcta ſenem,
Iſte modum ponit Veneri, tardante ſenectâ
Debile cum vires deſeruere latus.
At verò ebrietas creſcit creſcentibus annis:
Auctior & ſenio fit veniente ſitis.
Inſtar avaritiæ, cui progredientibus annis
Anxia dat vires ſolicitudo novas.

39. *Peccatum peccati pœna.*

Multis expoſita eſt vita hæc humana periclis:
Et patet in noſtras area lata cruces.
Eripit en aliis dulciſsima pignora lethum,
Chara aliis conjunx occidit ante diem.
Hos torquent renes, illos lapidoſa podagra,
Bella gravant alios aut maleſuada fames.
Denique ſupplicio cui non nos noſtra reſervat
Noxa? ſed hâc gravius nil cruce vita videt,
Crimine quàm crimen Dominus ſi puniet æquus,
Culpaque poſterior pœna prioris erit.
Talem quàm ſubeas pœnam, mala mille ferenda
Si nt potius. Tanti eſt conſuluiſſe animæ.

40. *Ratio declinandi hoſtem.*

Sæpe homo trux lupus eſt homini vel ſubdola (vulpes:
Sæpe velut fallax tendit hyæna dolos.

Paſtorum

Pastorum hæc tacitè voces & nomina discit,
Ut captos avidè dentibus inde terat.
Ut sæva effugias versutaque pectora, votis
Anteveni insidias suppliciisque piis.
Te tegat ille Deus fratrem qui texit Esavi,
Sævitiam fratris dum caret ille sui.
Hostem namque Deus flectet, vel naribus hamu
Indet, dum rapidas aggere sistat aquas.

41. *Quod vult Deus, id velis.*

Cum variare vices soleat vitæque labores
Postera sæpe, Deo sic moderante, dies,
Tu placidè, quoquò tua sors se verterit, usque
Subjice submissè teque tuosque Deo.
Quod vult ille, velis: quod non vult, fortiter illu
Nolle suprema animæ lex sit & umbo tuæ.
Et cum fata vocant, Domini est si grata voluntas
A fatis placidè duceris, haud traheris.

42. *Medicina animæ.*

Ut morbis aliis alia est medicina, levamen
Sic vitiis soliti sunt variare Sophi.
Fiat ut id verò, vitia explorare necesse est
Insita, naturæ semina prima tuæ.
Auri sacra fames aliis, aliisque libido
Ingenita est, alios fascinat ambitio.
Plus satis approperant alii: testudinis instar
Tardior his torpor pectora lenta gravat.

His

Hiſce malis præſens ut ſit Medicina; repugna
His quicquid, virtus prima ſit uſque tibi.
Ne properent celeres: acuant ſe pectora lenta:
Extinguat Veneris vita pudica faces.
Sordidâ avaritiam mens pellat honeſta memorq;
Quo ſit opes tandem mors habitura loco.
Ac quem agit ambitio tranſverſum hoc pectore condat,
Fructus honos oneris, fructus honoris onus.

43. *Loquendi leges.*

Sermo jugum referat, referat quoque ſermo bilancem,
Utque probis placeat ſermo ſit ulna tuus.
Sermo jugum referat rerum gravitate: bilancem
Ut referat, linguam mens ratioque regant.
Ulna ſit ut ſermo, vero nec deme nec adde
Particulam nudæ ſimplicitatis amans.

44. *Quomodo ſenes debeant repueraſcere.*

Specta age mens pretii quanti ſit candida, trimo
Cum paribus puero ludere quando datur.
Puraſci eſt facilis, facilè at ſedatur: amanter
Diſcit ab æquali mancaque verba docet.
Fœda libido procul, faſtus procul exulat omnis,
Suggerit & livor quicquid id omne procul.
Ambitio quid ſit, quid amor ſceleratus habendi
Neſcit; in hoc videas aurea ſæcla choro.

Felix ille ſenex qui ſic pueraſcit, ut illum
Perverſi affectûs mens ſine fæce beet.
Sed tamen iſte ſenex, ſic matureſcat ab ævo,
Iudicio ut vir ſit, ſimplicitate puer.

45. *Antevertenda procella.*

Cum mare tranquillum Zephyri levis aura ſere(nat
Seque procellarum jam poſuere minæ,
Navita tum funes firmat, reparatve carinam,
Carbaſa vel reficit dilacerata notis.
Cum fortuna favet, tecum perpende quid ind
Adverſæ ſortis tempora læva petant.

46. *Vita Mimus.*

In ſcena ſi quanda datas agat hiſtrio partes,
Quid deceat, quid non plebs procereſqu(notant
Non laudem diadema parit, non conſita gemmi
Purpura; ſæpe inopis trita lacerna placet.
Non quam perſonam, ſed an hanc benegeſſe(rit Actor
Spectant quos animat mica vel una ſalis.
Quo ſit cunque loco tua ſors, age diſpice ſemper
Perſonam dederint quam tua fata tibi.
Hanc bene ſi tuleris, parvo deſcrimine refert,
Clarus an obſcurus, ſummus an imus eas.

47. *Zeuxis imitator.*

Picturus Venerem Zeuxes pulcherrima fertur
Ora puellarum propoſuiſſe ſibi.

Hin

Hinc duxit cum flore genas & lactea colla,
Indeque puniceis æmula labra rosis:
Ast aliunde comas flavas, oculosque loquaces,
Denique deliciæ quicquid amoris habent.
Qui sapit is Zeuxem referat, virtutis & omnis
Icona proponat quam sibi cunque queat.
Lælius hinc hilarem frontẽ, gravis inde Catonis
Mentem sedatam frons caperata dabit.
Hic agere & duros vitæ perferre labores
Admonet, hic placidè tempora mæsta pati.
Quin & qui verè sapiens imitabitur hostem,
Si, quod in exemplũ quis trahat, hostis habet.

48. *Veræ pacis victoria.*

Externæ paci pacem si junxeris illam,
Quam pia mens tacitè nocte dieque fovet;
Nil adeo durum quod non hæc molliat, atque
Hinc leve fit quicquid vita dat ista grave.
Exitium, carcer, paupertas, denique quid non
Ingruat, hoc animi pax tamen omne levat.
Quin tolle externam pacẽ, sævusque per orbem
Mars ruat, injiciat mors quoq. certa manum,
Pax manet hæc victrix & spẽ super æthera librat;
Spe que sibi æternæ semina pacis alit.

49. *Nil dictu fœdum.*

Spiritus impurus dæmon cur dicitur? oris
Quòd doceat vitæ spurcitiemque sequi.

Vita

Vita ergo tibi ſit, ſit mens, ſit lingua pudica,
Impurus niſi te ſpiritus intus agat.

50. *qualis vita, finis ita.*

Da felicem obitum Deus ò! pater alme ſuprem
Da ne vi ſubitâ nos premat illa dies.
Hæc omnes petimus: Deus hæc vis vota ſecundet
Ut moriare piè, vivere diſce piè.
Quiſquis ita inſtitues vitam, moriere beate,
Sèu cita mors veniat, ſeu trahat illa moras.

51. *Verecundiæ modus.*

Siſtitur ut fræno ſonipes, fluviumque coercet
Ripa, verecundos ſic regit uſque pudor.
Hic linguam cohibet, cohibet quoque facta pu-
(denda
Difficilemque docet laudis inire viam.
Sed laudi interdū eſt frontis rubor, eſt ubi peccat
Nam nimius pectus degener eſſe probat.
Fœda verecundè fugiat pudor; aſt ubi dignum
Laude quid aggrederis, frons ſit aperta tibi.

52. *Pſyllus animæ.*

Serpentes quondam Pſylli exarmare veneno
Sunt ſoliti, hiſtoriis ſi modo vera fides
Infecit virus vitiorum pectora noſtra,
Ex quo hominem fecit prima ruina reum.
Hæc vitia, hoc virus cupias ſi exſugere; ſit dux,
Sit tua lux CHRISTUS, ſic tibi Pſyl
(lus eris

Sic da

Sic dabitur ſcelerum primas evellere fibras,
Partaque erit menti ſic panacea tuæ.

53. *Cura laudabilis.*

Poſcit hyems æſtas fuerit num provida, quidque
Præſtiteris juvenis cana ſenecta petit.
Sors adverſa petit quos tempora læta labores
Pertulerint, vitæ quodque prioris iter:
Quærit & hoc ſuprema dies? Is fungus & excors
Quem non edoceant hęc meliora ſequi.

54. *Modeſtia & vanitatis antitheſis.*

Vas vacuum digitis pulſato, repercutit ictum:
Nil, fuerit plenum ſi ſolidumque, ſonat.
Sic quicunque ſapit, premit is ſua dona modeſtè:
Vanus homo laudes ventilat uſque ſuas.
Idem etiam impatiens animumq. avertit et aures,
Alterius quoties laus celebranda venit.

55. *Audi, vide, tace.*

Multa licet citra culpam ignorare: viroque
Prudenti quædam diſſimulare licet.
Nec videt interdum modo viſa, audita nec audit.
Quatenus id liceat res ratioque monent.

56. *Pia ambitio.*

En convivaris quoties, quotieſque ſalutat
Te tibi par, quoties cum pare limen inis?
Ambitione animus tibi ſi turgeſcat inani,
Eſſe cupis primi primus honore loci.

Ah quid

Ah quid agis? quin tu prim⁹ quoq. recta capeſſis?
Quin pietatis amas carpere primus iter?
A teneris aſsueſce puer bene vivere, primas
Hic teneas; hinc, hinc primus & omnis ho-
(nos.

57. *Nuſquam hìc plena acquieſcentia.*

Mens contenta ſuo voti menſura ſuprema eſt
Omnibus; aſt illâ cui datur uſque frui?
Nulli; Dat vita hæc nihil omni ex parte beatum:
Dulceque quicquid habet quid γλυκύπι-
(κρον habet.

58. *Oportet mendacem eſse memorem.*

Mendaces paſcunt ventos, corvoſque ſequuntur
Remigio alarum qui per inane volant.
Namque ſibi haud uſquam conſtant, dum ficta
(refingunt,
Et perplexa novo ſchemate verba tegunt.
Quòd niſi ſint memores, videas mendacia tan-
Seſe diſſidio prodere vana ſuo. (dem.

59. *Vera ſecuritas.*

Quem pia ſimplicitas regit, hunc fiducia firmat;
Quæ mens fraude procul, mens procul illa
(metu eſt.

60. *Vitium quò vulgatius eò gravius.*

Qui ſtupro gaudent, quos decoquit alea pernox,
Quos nimio aſſiduè mergis Iacche mero,
Hęc leviora putãt quia publica; quantus at error?
Omne ſcelus cum plus ponderis inde trahat.

Sit Soc

Sit Sodoma exemplo; sit testis publica pœna
Quâ periit rapidis obrutus orbis aquis.

61. *Patrem sequitur sua proles.*

Pignora quisquis habes castâ tibi conjuge nata,
Usque tibi cordi sit meliora sequi.
Promovet adspectus Patris conamina Nati.
Auribus inde, oculis quod juvet inde trahit.
Indecoris sed cum præeunt vestigia patris,
Hinc animos urget prima ruina rudes.
Quin & qui Pater es conde hoc quoque pectore, Natum
Sæpe premit patri debita pœna reo.

62. *Procul fugit, qui se fugit.*

Securè ut vivas tibi sit mens candida, pura,
Nec cor solicitent facta nefanda tuum.
Clam fuerit sceleris quisquis sibi conscius, errat
Si celasse alios id satis esse putat. *(tescet*
Secum animo hoc agitat; *Fors hoc scelus omne pa-*
Tandem, sæpe etenim promit operta dies.
Anxia mens sic se torquet, versanque futura
Ambiguè, gemitûs nocte dieque premit.
Mens probet ut sibi se, DOMINO sincera; fidelis,
Prompta, ministerio se probet usque suo.

63. *Quot homines, tot fata.*

Concelebrant vates septemplicis ostia Nili,
In mare quà præceps per vada cæca ruit.

Ostia

Oſtia plura patent homini. Natura dat unum
Introitum, mortis mille ſed inde vias.

64. *Spes ſeni ſolatium.*

Heſperio Phœbi cum littore conditur axis,
Cum jam nox terras & mare fuſca tegit,
Ecce ſilent volucres, hominum nec pectora tem
Gaudia, queis ſoliti Sole nitente frui. (tan
Et tamen haud nocti deſunt ſolatia ſeræ,
Craſtina quòd radiis lumina Phœbe noves
Ut ſpes hæc hilarat mentes, ſic lumina condet
Cum tua mors, animum fulciat illa dies,
Æternæ lucis ſponder quæ munera, quæque
Cœleſti in patria gaudia certa dabit.

65. DEUS τὰ πάντα.

Verus honos DEUS es, Tu vera potentia, ver
Divitiæ, vera es gaudia, vera quies.
Da DEUS ò Te poſſideam, mea portio Tu ſis
Ipſum ſi dederis Te mihi, cuncta dabis.

66. *Damnanda damna, nil vltra.*

Legem odio Sapiens, legem quoque ponit amor
Legibus ut certis ponat utrique modum.
Sit vitium exoſum, vitio corruptus ametur:
Sic at ama, vitium ne quoque cæcus ames.
Sic quicunq. odium, ſic qui moderatur amorem
Gratus is uſque DEO, gratus is uſqu
(ſibi e

67. Cap

67. *Caput eſt artis decere quod agas.*

Multa licent, quæ parte tamẽ fugit uſus ab omni;
Quæq. modus, morũ norma ſuprema, vetat.
Num vernam diadema decet? regemve cucullus?
Apta viro veſtis num muliebris erit?
Anne Senatori ſaltare & currere cano
Convenit, aut ſcurræ fundere more jocos?
Quod gens, quod ſexus, quod ſors, quod tempo-
(ra poſcunt
Id ſequere: id placeat, ſi modo recta placent.
A communi hominum nimiùm diſcedere more,
Cordatis bardi eſt inſipidique hominis.

68. *Prudenter, at honeſtè.*

Qui ſummo à montis deſcendit vertice, gaudet
Ire per anfractûs, ut leve reddat iter.
Nec rectam tenet uſque viam, ne forte vacillans
Cernuus in puteum teſqua per alta ruat.
Haud ſecus obliquo nonnunquã tramite prudens
Pergit, ut inceptum conficiatur opus.
Nec ſine laude; abſint tamen * illi fallere pomis
Qui pueros ſoliti, perfidiâque viros.

* *qualis Lyſander & Julius Cæſar.*

69. *Fer & perfer.*

CHRISTUS Homo DOMINUSQUE DEUS
(patiendo triumphum
Nunc agit. At quænam, qualia, quanta tulit?
Helluo nunc turbæque ſequax ſociuſque bibacis
Eſt habitus: ſanæ nunc homo mentis inops.

Nunc genii impuri conſors, miracula tanquam
CHRISTI præſtigiæ ſpectraq. vana forent
Nunc illum, quem dira reum blaſphemia reddat
Nunc ſubverſorem Cæſaris eſſe volunt.
Hæc tulit ipſe tamen placidè, vicitque ferendo,
Ut regat exemplo pectora noſtra ſuo,
Effera quæ nimiùm, nimiùmque tumentia bile,
Si vel ſuſpicio ſtrinxerit illa levis.

70. *Cœlum Patria.*

Quem natale ſolum nimiâ dulcedine captum
Detinet, indulget plus ſatis ille ſibi.
Cui quodcunq. ſolum patria eſt, ut piſcib⁹ æquor,
Fortis is, is verè ſic generoſus erit.
At conſummatæ tibi ſit virtutis, ubique
Patria cui Cœlum eſt, exiliumque ſolum.
Nempe eadem ad patriam ſemper via, ſemper &
Exitus eſt, ſedē ſors ubicunq. dabit. (idem

71. *Legibus non exemplis.*

Exempli vis magna mali eſt; huc prona juventus,
Huc ipſos videas vergere ſæpe patres.
Noſſe cupis magni quàm ſit conſtantia certa
Pectoris, *Exemplis vivere vile putat.*
Lex illi cynoſura una eſt: hanc lumine fixo
Adſpicit, hæc vitæ regula ſola placet.
Inciperet Moyſes cum jam diffidere, firmâ
Ioſua magnanimus perſtitit uſque fide.
Deſpiciat gnatum genitor, gnatuſque parentem,
Exemplo quoties iſte vel ille nocet.

72. *Juſt*

72. *Jactura temporis.*

Quæcunq. hìc uſquam ſpectas infraq. ſupraque
Sunt aliena; tuum nil niſi tempus habes.

73. *Infelix felicitas.*

Cui res ex voto cedunt, cui turbine ſortis
Vita vacat, cui non atra vel una dies;
Sit ſuſpecta illi ſua ſors; nil triſtius uſquam,
Quàm parte ex omni triſtia nulla pati.

74. *Surſum Corda.*

O quàm nullius pretii contemptaque quàm res
Eſt homo, ni ſeſe pectora noſtra levent.
Ni terram aſſurgant ſupra & terreſtria cuncta
Ad cognatam auram ſydereaſque domos.

75. *Antidoton iracundiæ.*

Ut fugias iram quò verba aut carmina? praxis
Adſit. Verba volant quò levis eurus abit.
Adſit at ut praxis, ſtomachum tu conſule, bilis
Quàm ſtomacho noceat reſpice ſi ſapias.
Ingenia interea vita iracunda, repente
Cannabis ardet, adeſt cum prope flãma ni-
(mis.

76. *Neglectus epidemicus, at damnoſiſſimus.*

Heraclite adſis, Lachrymas hìc funde perennes:
Hìc argumenti ſatque ſuperque tibi.
Cui ratis eſt, cuicunque enſis, cui tecta vel hortus,
Cui ſeges aut conjux, hæc cupit eſſe bona.

At quotus

At quotus heu quiſq. eſt, *Animæ* cui debita cura?
Huic quotus heu quiſque eſt qui ſtudet ut bene ſit?
Hæc ſi homini pereat, quid quæſo hic omnis ab ortu
Littus ad Heſperium, quod juvet, orbis habet?

77. *Militia Chriſtiana.*

Fortunæ oſtendunt adverſæ flamina, qualis
Quis ſit: virtutis quem teneatque gradum.
Utque Magiſtratûs hominem ſors indicat, alti
Sic animi robur tempora dura probant.
Quin cum res mentem delectavere ſecundæ
Plus ſatis, inſidias mens ſibi mille parat.
Acrius examen tamen his mors exhibet, arcem
Ipſam animæ cùm jam lucta ſuprema petit.
Iudicii hæc æquâ libeat ſi expendere lance,
Vitam, heu, militiam quis neget eſſe gravē

78. *In carcere libertas.*

Cum pius eſt cæco damnatus carcere: dulci
Cumque ſodalitio jam viduandus erit,
Quid faciat? ſibi quæ mentis ſolatia captet?
Tædia ne nimio pondere lenta gravent.
Roboret exemplis animum quæ pagina ſacra,
Quæ memorant veteres hiſtoriæque novæ
Addat & hoc; pelli lux Phœbi è carcere quamvi
Poſſit, at excludet numquis & inde Deum?
Hoc comite in tenebris aderit lux clara, perenni
Et vitæ in medio carcere primitiæ.

79. *Medium*

79. *Medium tenuere beati.*

Multa brevem circumveniunt incõmoda vitam.
Dextra manus capit hæc, illa ſiniſtra parat.
Dextra voluptatum fallaces porrigit eſcas:
Injicit adverſâ ſorte ſiniſtra metûs
Da Deus ò mediæ foveat me ſemita vitæ!
Sin ſecus, illud amem quod dabit iſta dies.

80. *Vitium corporis non exprobrandum.*

Omnibus optanda eſt mens ſana in corpore ſano,
His ſolidæ vires formaque juncta beant.
Totumq. addecorãt hominẽ; nam corpore virtus
Quæ nitet è pulchro pulchriùs uſque nitet.
Si tamen interea formæ quid deſit, id arte
Celabis, ſapit is qui ſua damna tegit.
Quin qui alium ridet vitium cui corporis, audet
Naturæ is Dominum vituperare DEUM.

81. *Ingeniorum periodi.*

Quì fit ut ætatum videas diſcrimina tanta,
Adſit & ingeniis orbis & ordo ſuus.
Sæclo Auguſtæo decoravit roſtra diſertus
Tullius, Aonidum Naſo Maroque chorum.
Inde autem ſenſim defecit vivida quondam
Vis animi & tenebris ceſsit abacta dies.
Hinc emerſerunt Heroes, pectora dia,
Scaligeri & patriæ tu Buchanane decus.
Atque alii, quorum memorabunt poſtera laudes
Sæcula: at heu rurſus nox niſi fallor adeſt.

Vis cau-

Vis cauſam expediam tanti diſcriminis? ecce!
Ex occulto opus hoc fertq. refertque DEUS.

82. *Sæcli hujus calamitas.*

Cur pacem externam fugiunt hæc ſæcula? pacis
. Cura quia internæ nulla vel exigua eſt.

83. *Victoria Chriſtiana.*

Omnia vincit amor, niſi quod ſe vincat; amore
Chriſti etenim inferior vincitur omnis amor.
Chriſte tui nos dulcis amor ſic vincat, ut unus
Unus hic in nobis omnia vincat amor.

84. *Theſaurus in cœlo.*

Ut cumulentur opes creſcatque pecunia, turba
Per mare per terras undique cæca ruit.
Ambit opes avidus mercator, navita, nummis
Pauperiem Medicus curat & ipſe ſuam.
Et Themidis Myſtes legum hâc oracula lege
Pandit, ut ad Pluti limina pandat iter.
At quorſum hic tandem ſpectat labor omnis? ut
(hæres
Diſſipet extemplò parta labore gravi.
Forſan & hæredes tineæ blattæque futuræ:
Militis aut rapidi ſanguinolenta manus.
Incerta hæc vis certa tamen tibi reddere, nulla
Quæ fata eripiant, illa ſiniſtra licet?
Extra fortunam eſt quicquid donatur egenis:
Quas dabis his ſolas ſemper habebis opes.

85. *Permit*

85. *Permitte Deo cætera.*

Cum mens preſsa gravi morbo novat uſque que-relas,
Et pariunt longæ tædia longa moræ,
Ah triſtē, ah miſeram ſorē! mentemq. ſupinam!
Hac niſi ſubveniat ſimplicitate ſibi.
Crux quæcunque tibi, quæcunq. ærumna ferēda,
Sit diſpenſator temporis ipſe DEUS.

86. *Aderit tandem vindex.*

Si tibi quis famam lęſit, bona ſiquis iniquis
Artibus attrivit, prępipuitve tibi;
Atque loco ſi te quis deturbavit ab alto,
Strinxit & invidię noxia tela ſuę;
Vindictam permitte DEO, tempuſq. modumq.
Supplicii, hęc ſuperâ ſpectat ab arce DEUS,
Atque aderit tandem: quin & magis inde futura
Pœna gravis, quoties ſerior illa venit.

87. *Veterum Chriſtianorum Salutatio.*

Si gravia immineant hinc inde pericula, cedas
Ne tamen his, animo neu titabante cadas.
Quid DOMINI poſſint vires expende, vel ipſis
In flammis ſalvos præſtitit ille ſuos,
Succurratque animo priſca & pia teſſera Patrum,
Ille Reſurrexit quo duce parta ſolus.

88. *Animorum vincula.*

Ut varias hominum facies Natura dat, illam
Pectoris & dotes ſic variare vides.

Artifices

Artifices alii celſas ad ſydera turres,
Aptaque præſidiis mœnia celſa parant.
Excudunt enſes alii, tormentave Martis
Ænea; dant alii carbaſa, tranſtra, rates:
Atque artes aliis aliæ ſunt undique: fabros
Quin feret hæc ætas ingenioſa novos.
Mutuò ſic operas tradunt ultroque citroque
Omnes, tellurem quà mare cingit aquis.
Nec Natura uni dedit omnia; Nempe catenâ
Vinciri hac voluit pectora noſtra DEUS.

89. *Sapiens dominabitur aſtris.*

Immodicum evita ſtudium curamque futuri,
Securè ut vivas linque futura DEO.
Quæ mors immineat quiſquis quæſivit ab aſtris,
Aſtrologiſve crucem fixit ubique ſuam.
Hæret enim in dubio mens delaſſata, futuri
Et præſaga mali nocte dieque timet.
Aſt tu nil metuas: ubicunque & frangitur urnâ,
Hìc fuat; ulterior cura ſupervacua eſt.

90. *Summum Bonum.*

A Sophiâ laudem ſoliti qui quærere, multis
Summum quodnam eſſet diſſeruere bonum.
His virtus ſumma eſt; his à virtute profecta
Actio; Ariſtippo lætus ubique animus.
Sic ſua cuique Helene placet, at me Iudice, fruſtra
Quæſtio apud veteres hæc agitata fuit.

Optimum

ptimum ubi invenies cum ſit DEUS optimus
(unus?
Sobria ſi mens ſit, ſat reperire Bonum eſt.
dfit Democritus, riſumque effuſus in altum
Andabatas ſolos clamitet eſſe Sophos.

91. *Ingratitudinem vince.*

ſenibus proſis quibus inſtant fata ſuprema
Perraro gratos experiere ſenes.
pueris proſis ac herbeſcentibus annis,
Vix pueros, gratos experiere ſenes.
bliviſcuntur pueri quod feceris olim:
E medio tollunt fata ſuprema ſenes.
uà tamen uſque potes proſis pueroq. viroque.
Eſt pretium virtus ſatque ſuperque ſibi.

92. *Fugiendus aſsentator.*

ſsentatorum linguas atque illita melle
Verba cave, dolus hic veſpaque tecta latet,
omina virtutum vitijs hic indit; avarus
Frugi eſt, hæredis ſi petat arte locum.
utuò ſi nummos vel ſi convivia captet,
Prodigus atque nepos tum generoſus erit.
quus iniquus erit, pugnax poſt pocula fortis:
Doctus ad invidiam qui modè tyro rudis.
æc aſsentator; ſed ſi modo vera fatemur,
Eſt aſſentator quiſque ſubinde ſibi.
oc vitare velit quiſquis, ſe noſse laboret:
Forſitan & quis ſit diſcet ab hoſte ſuo.

93. *Victoriam moderare.*

Hoſtis cum fuerit jam ſtratus & Io triumphe
Iam canitur, ſortis tu memor eſto tuæ.
Victum ne tumidè Victor peſſundet: habenas
Neu nimiùm laxet miles avaritiæ.
Forſitan oppreſſo quicquid jam contigit hoſti
Id vel quid gravius teque tuoſque premet.
Eheu mens hominum rebus ſublata ſecundis
Haud meminit, quid ſors craſtina ferre (queat.

94. *Examen voluptatis.*

Cum ſegetes inter flores naſcuntur amæni,
Pulchra licet fuerint lilia mixta roſis,
Grata quidem hæc ſpecies puero, aſt ingrata co- (lono eſt:
Cui nihil eſt agri fertilitate prius.
Haud ſecus, is nucibus ſapiet quicunque relictis
Uſque voluptates utilitate probat.

95. *Abuſus pulveris Nicotiani.*

Quid tibi vis patulo tubus eſt cui ſemper in ore?
Quid ſibi vult fumus? quid ſibi flāma vorax.
Non hìc Ætna ardens, non hic Trinacria tellus
Ignea flammiferos jactat ad aſtra globos.
Aurea non tellus hìc Colchica vellera condit:
Non hìc Heſperidum carpere poma datur.
Pervigil iſta draco flammis tutatus & illa eſt,
Qualęs uſque tuo fumus ab ore vomit.

Ergo

Ergo quid exhalas? ignes quos Cacus ab antro
Fudit, Aventinis qui latuere jugis.
Tum Cacum Alcides unũ modo comperit, atqui
Mille, eheu, Cacos sæcula nostra vident.

96. *Prudentiæ soror paupertas.*

Divitias confer cum paupertate, tuæque
Paupertatis onus mitius inde feres.
Divitiæ innumeris vitiis alimenta ministrant:
Sobria paupertas hæc alimenta negat.
Divitibus torpet stomachus post pocula, pauper
Manè labore famem suscitat atque sitim.
Pabula poscit inops precibus: sed vota potentûm
Sæpe carent animâ, pondere sæpe carent.
Divitis ecce Colax veneratur limina & usque
Blandius hunc Regem venditat esse suum.
Assiduis probris laceratur pauper, ubique
Ingeriturque illud *Pauper vbique jacet.*
Inde ignara sui sine fine superbia glisci
Diviti, at hinc sese cernere discit inops.
Denique judicio libres si singula certo,
Pauperies solidi est pectoris ipsa soror.

97. *Cura, at Moderatè.*

Curam adhibe, at curæ modus adsit; namq. alio-
rum
Cuncta fuere, aliis cuncta dabitque dies.

98. *Solatia bonæ conscientiæ.*

Conscia mens recti semper solatia præstat:
Semper fida sibi: semper amica sibi est.

Dulce

Dulcè ſodalitium reddit: bellique togæque
Soli homini pandit ſola quietis iter.
Rebus & in duris eſt murus aheneus, ipſa
Quem non inferni rumpere clauſtra queant.
Quem beat hæc, illi niveo ſignanda lapillo eſt
Cuncta dies, aliis illa nefaſta licet.
Cumque illo Cœlum & Cœleſtia lumina, terra
Continet & quicquid Dædala terra ſinu,
Fœdus amicitiæ jam percuſſere, perennis
Uſq. quod à Domino pignus amoris habet.

99. *Homine nihil ingratius.*

Cum ratis Oceani jactatur fluctibus atque
Vectori bilem nauſea cruda movet,
Sæpe gemit vector quòd jam tellure relicta
Se renovet toties ingeminetque dolor.
Aſt ubi jam nullo ſentit ſibi preſſa dolore
Viſcera, nec ſordes gutture fundit hians,
Iam redit ad ſeſe ridetque, nec amplius hujus
Aut luctæ aut luctûs jam meminiſſe cupit.
Sic dolor angit edax animũ, dum corpora morbi
Et mala fortunas dum graviora premunt.
Spondemuſque DEO Gratæ libamina mentis,
Vires ſi ſolitas reddat opemque ferat.
Aſt ubi parta ſalus, ſubit en oblivio rurſus:
Pacta nec officii nos monet ulla fides.

Heu nos

Heu nos immemores! heu noſtra hæc pectora nunquam,
Nunquam ſat DOMINO Grata futura ſuo.

100. *Votum.*

Ferre famem, tolerare ſitim, tolerare labores
Æſtas cum fervet, cum riget acris hyems,
Dura quidem; diſcenda tamen primoribus annis;
Hinc etenim patriæ ſtatque caditque ſalus.
Nempe rudimentis SCOTI crevere ſub iſtis,
Crevit & his toto quà patet orbe decus.
Quin nunc mollities ne frangat inertia corda,
Martia gens paſſim rurſus in arma ruit.
Nulla ſalus bello, pacem Pater alme rogamus,
SCOTIA ne vires atterat ipſa ſuas.

CORONIS.

Horas ſolicite metimur nocte dieque.
Clepſydra quas certâ lege ſubinde novat,
Index aut alius, fabri quem lima manuſque
Dividit in varias ingenioſa rotas.
At paucos hæc cura tenet, quo tranſeat hora
Fructu, quo brevis hæc vita labore fluat.

Otii &

Otii & ipsius ratio est reddenda, Bonorum
Si modò te cupias associare choro.

ÆNIGMA.

Mater me genuit; genetricem filia tollo;
Et toto passim quà patet orbe vagor.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 11 OCT 71